

Francisci Suarez iunioris de causa praedestinationis doctrina

Cum dubitatum sit ¹, num Suarez semper in eadem de causa praedestinationis sententia perstiterit, non abs re erit inquirere, quae eius sententia fuerit, cum primum tractatum de praedestinatione doceret. Id fecit cum Vallisoleti a fine anni 1576 usque ad finem anni 1579 primam partem summae theologiae S. Thomae Aquinatis explicaret ², ergo probabiliter anno 1577. Feliciter accidit, quod lectiones illae in quibus priores 26 quaestiones S. Thomae seu doctrinam *de Deo uno* exponit adhuc Romae in manuscripto quodam Universitatis Gregoriana ³ conserventur.

Postquam Suarez commentatus est articulos Q. 23 de praedestinatione, inchoat tractatum sat longum ⁴, cui titulus est: *Disputatio de causa praedestinationis et reprobationis*. Complectitur autem hic tractatus 10 quaestiones et Epilogum continentem universalem ordinem divinae praedestinationis. Utile erit ab hoc Epilogo ⁵ considerando procedere.

Toti negotio praedestinationis, ait Suarez, praecedit in Deo scientia simplicis intelligentiae. Notatu dignum est scientiae condicionate futurorum seu scientiae, quid homines acturi essent, si in hoc vel illo ordine rerum ponerentur, nullam fieri mentionem. Supposita igitur

¹ Cf. G. SCHNEEMANN, *Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus* (1881) 310; R. DE SCORRAILLE, *François Suarez* (s. a.) I 475.

² La primera parte comencé yo en Valladolid fin del año 76 y la proseguí hasta el fin de 79. Ita Suarez scribens Avila 15.9.1599 ad P. Benavides. Ex autographo Archiv. priv. Cf. SCORRAILLE, l. c. I 153.

³ Cod. 1325 (I) Mss. Gesuitici. Est codex 872 paginarum magnitudinis 14 x 20 cm. Cum paretur editio critica huius codicis, ab eo describendo et a discutiendis quaestionibus quae in tali casu discuti solent abstinemus.

⁴ 674-841.

⁵ 837-841.

scientia simplicis intelligentiae ante omnem praescientiam futurorum decrevit Deus bonitatem suam communicare et ad hoc elegit totum universum, in quo se communicaret omnibus modis per naturam, per gratiam, per unionem hypostaticam. Voluit igitur in isto etiam Christum et probabiliter etiam eius matrem, voluit etiam esse angelos et homines, diverso tamen modo, quia angeli immediate ab ipso creandi erant, homines autem oriundi erant per propagationem ex primis parentibus, quos solos tunc decrevit condere, nisi iis addenda sit etiam mater Christi. Ordinavit etiam omnes partes essentiales universi, futuram tamen multiplicationem individuorum corruptibilium tunc non praefinivit in particulari. Angelos et homines immediate ordinavit ad se ipsum tamquam ad finem supernaturalem dando illis sufficientia media ad illum consequendum. Deinde ordinavit ut tam angeli quam homines gloriam consequerentur per sua merita et ideo illos in sua libertate reliquit, ut possent cum gratia qua praeventi erant gloriam promereri vel, si vellent, possent ab illa deficere peccando. Et ex angelis quidem nullum decrevit specialissima aliqua providentia infallibiliter impedire, ne peccaret, sed eos reliquit in plenissima libertate, quia non indigebant tali modo providentiae. Et eo modo se habuit circa homines in eo signo rationis secluso aliquo privilegio, quia illos constituebat in integritate naturae, in qua possent facile se conservare et perfectissime salvare.

His divina voluntate constitutis, praevидit Deus opera creaturarum et sic etiam quosdam angelos bene operantes, alios male. Et illos voluit beatificare, aliorum autem noluit misereri propter immutabilia iudicia sua et propter speciales aliquas rationes alibi adducendas et illos in aeternum supplicium destinavit. Et sic completa est praedestinatio et reprobatio angelorum. Deinde vidit Deus hominem peccantem et inefficientem totam naturam humanam, ita ut omnes perituri essent, nisi Deus specialissima providentia illis providisset. Videns ergo Deus, quia pulvis sumus et quia invidia diaboli tale malum homini accidit, respiciens etiam Christum, in quo naturam eiusdem rationis cum nostra posuit, propter infinita eius merita voluit hominem cum rigore iustitiae redimere. Et ideo ordinavit Christum, ut carnem passibilem assumeret et satisfaceret pro omnibus et illis gratiam et gloriam mereretur. Et propter eum voluit universis hominibus tribuere sufficientia media ad remissionem peccati et ad beatitudinem obtinendam. Quo constituto, decrevit ex hac natura humana infecta quosdam sibi specialiter eligere propter eadem Christi merita; alios vero quos non elegit, non statim efficaciter exclusit a regno, sed illos libertati suae reliquit cum sufficientibus auxiliis. Et quia hos non praelectos male

operantes vidit et in aliquo peccato vel mortali vel originali usque ad finem vitae perseveraturos, ideo voluit illos a regno excludere. Quodsi aliquos ex iis in fine vitae vidit bene operantes seu recipientes sacramenta Christi et gratiam eius et in ea durantes usque ad finem vitae, quod fieri potest neque mihi certum est, an ita contigerit, illos efficaciter ad gloriam ordinavit et ita fuerunt praedestinati. Et sic concludit negotium reprobatorum et praedestinatorum et totus iste discursus fere quoad omnes eius partes probatus est satis disputatione praecedenti. Quare ea nobis breviter inspicienda est.

Omissis iis quae primis duobus quaestionibus de angelis disputat, id solum retinendum est, angelos qui gloriam consecuti sunt non fuisse ad eam efficaciter electos ante, sed post praevisum modum suum agendi, sicut neque quisquam antecedenter ad suum modum agendi exclusus erat a gloria⁶. Quae ad praedestinationem hominum spectant, paulo accuratius examinanda sunt.

Dicit Suarez⁷, creaturas racionales indigere specialibus auxiliis et supernaturali quadam providentia qua finem ad quem ordinati sunt assequi possint. Haec providentia, quando hominem cum effectu ad finem illum ducit, dicitur praedestinatio. Est igitur praedestinatio ex parte obiecti pars providentiae et, sicut haec, etiam illa in Deo includit tam actum intellectus quam actum voluntatis. Verius autem videtur non esse actum intellectus et voluntatis, prout versantur circa finem; neque enim est scientia beatitudinis dandae neque est voluntas efficax dandi illam, licet haec supponatur praedestinationi. Praedestinatio est potius ratio practica qua Deus ordinat aliquos ad consecutionem gloriae, et versatur circa media quibus aliquis ad gloriam pervenit. Supponit autem voluntatem dandi gloriam. Prout haec voluntas est absoluta, nulla hominum merita supponens, aut condicionalis tantum, si homo gloriam meretur, praedestinatio dicitur fieri ante vel post praevisa merita. Quid igitur Suarez docet?

Ingrediens quaestionem de causa praedestinationis ait⁸, quaestionem hanc difficillimam esse et caute procedendum esse et modeste loquendum, subiciendo intellectum in obsequium fidei. Ideo cavendum esse, ne quid dicatur quod divina bonitate videatur indignum, et ideo etiam ita satisfaciendum est gratiae, ut non destruat libertas, et ita tuenda est libertas, ut gratia semper praeferatur, et ita est circa aliquos extollenda gratia, ut aliis non denegetur nec illis ostendatur

⁶ 679.

⁷ 651s.

⁸ 674.

impossibilis via salutis. Etiam hoc ostendendum esse, omnes etiam reprobos posse, quantum est de se, salvari, mereri et demereri, implere et transgredi mandata quae omnibus sunt imposita. Unde sicut nullus salvatur nisi per gratiam Christi et Dei et sua merita, si capax est illorum, ita etiam nullus condemnatur nisi propter sua peccata.

In prima quaestione de praedestinatione hominum (Q. 3)⁹ quaerit, an ante praevisum originale peccatum Deus habuerit efficacem voluntatem admittendi quosdam homines ad gloriam et non admittendi alios. Respondet quatuor propositionibus.

Prima propositio. Ante praevisum originale peccatum Deus universali voluntate decrevit omnes homines, nullo excepto, ordinare ad gloriam per sufficientia media ad illam consequendam. Hanc propositionem dicit negari non posse et oppositum censet esse erroneum¹⁰.

Secunda propositio. Electio omnium hominum salvandorum non fuit facta ante praevisionem originalis peccati¹¹.

Hanc sequuntur multi Thomistae coacti duobus principiis. Primum est, quod Christi merita sint causa nostrae electionis; secundum, quod Christus fuit praedestinatus post originale peccatum praevisum, ex quo sequitur, quod electio hominum facta est etiam post originale peccatum praevisum. Ex quibus primum est verum, secundum vero minus probabile. Consequentia etiam ab aliquibus negatur.

Tertia propositio. Ante praevisum originale peccatum Deus non habuit absolutam voluntatem excludendi vel non admittendi aliquos homines ad gloriam¹².

Nam si Deus aliquem ante praevisum eius peccatum vellet nunquam esse beatum, omnino deordinasset eum a consecutione beatitudinis; ergo non daret illi sufficientia media ad eam consequendam, quod falsum esse patet. Item Deus desereret tales homines, antequam desereretur ab illis, quod est contra Conc. Trid. sess. 6 cap. 11. Et hoc patet, quia summa desertio Dei est excludere hominem a beatitudine. Item oppositum est crudelissimum. Cur enim Deus gratis et sine causa vellet hominem perpetuo perire, quem ipse condiderat, ut esset particeps suae bonitatis? Cur etiam odio haberet creaturam, in qua nihil videbat, quod ipse non fecerit? Summa enim est ira et summum odium Dei aliquem hominem a se dividere, quae quidem non consonant divinae bonitati. Item ex tali voluntate haberet primam

⁹ 689.

¹⁰ 691.

¹¹ 693.

¹² 696.

originem talium hominum perditio, sicut ex electione habet originem hominum salus; nam voluntati eius quis resistit? Sed consequens est contra illud Os 13, 9: perditio tua ex te. Item talis volitio non esset misericordiae actus, quia non sublevaret miseriam, sed potius esset principium totius miseriae. Nec esset iustitiae, quia non est peccatum quod puniat. Nec est providentiae, quia non est de ratione providentiae, immo contra illam, nobilissimam creaturam excludere a consecutione finis sui sine aliqua causa ex parte eius¹³.

Quarta propositio. Ante praevisum originale peccatum voluit Deus permittere hominem peccare et averti a suo fine¹⁴.

His de modo agendi Dei cum homine ante praevisum originale peccatum constitutis transit Suarez ad considerandum, quomodo se habuerit Deus erga hominem lapsum. Praeviso originali peccato, ait¹⁵, Deus habuit sufficientem materiam ex parte hominum ad excludendum illos iustissime a regno Dei, nullum illis praebendo auxilium vel remedium. Hoc patet ex illo, quia omnes homines per illud peccatum erant constituti inimici Dei. Item de facto. Qui cum solo peccato originali decessit iustissime excluditur a regno. Secundo certum est Deum non habuisse efficacem voluntatem excludendi vel admittendi homines *omnes* lapsos ad regnum. Est de fide, quia nec omnes de facto admittuntur nec excluduntur omnes; voluntas autem Dei efficax infallibiliter haberet suum effectum. Tertio dicit Deum habuisse voluntatem universalem circa homines omnes ex Adam nascituros per seminalem propagationem, dando illis sufficientia media contra peccatum et auxilia ad consequendam aeternam salutem ad quam omnes illos ordinavit sufficienter. Haec conclusio, addit¹⁶, est adeo mihi certa, ut censeam negari non posse sine praecudio fidei et magna iniuria redemptionis Christi et imprimis est communis sententia Sanctorum in id 1 Tim 2, 4: *vult omnes homines salvos fieri*. Ex Sanctis affert Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Damascenum, (Pseudo-) Augustinum (i. e. Prosperum in Responsione ad articulos sibi falso impositos). Locus Pauli 1 Tim 2, 4 intelligendus est de voluntate antecedente respectu omnium hominum. Haec autem voluntas antecedens consistit in hoc, quod Deus vult dare omnia auxilia sufficientia ad salutem. Nam si haec non daret, non possent homines salvari et consequenter eorum salus non staret per illos, sed per Deum

¹³ 696s.

¹⁴ 698.

¹⁵ 700.

¹⁶ 701.

ipsum. Ergo nullo modo vellet eam Deus. Idem colligitur ex Rom 10, ubi Paulus intendit ex professo probare gratiam Dei, quantum est ex se, se extendere ad omnes homines, ut patet ex Rom 9,24; 10,12.11. Et hoc ipsum docent parabolae evangelii Lc 8,4ss de seminante in omni genere terrae et 14,16-24 de invitatis ad coenam, et Mt 21, 33-46 de invitatis ad vineam. Et ideo Sancti comparant gratiam Dei soli qui, quantum est de se, illuminat omnes et fonti qui omni haurienti aquam tribuit. Denique praevisto originali peccato, voluit Deus dare Christum in redemptionem omnium hominum. Tunc enim ordinavit eum in ratione redemptoris, licet iam praeordinasset illum ad esse. Sed Christus est datus in redemptionem omnium, nullo dempto. Nam licet non omnes cum effectu consequantur salutem, tamen ipse de se pro omnibus oblati est, iuxta illud 1 Io 2, 2: *ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, et 2 Cor 5,19: *erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi*, quod optime prosequitur Paulus Rom 5, 15-19 comparans gratiam Christi peccato Adae et ostendens, quod iustitia Christi gratior fuit Deo, quam fuerit illi ingrata culpa Adae et sicut Adam fuit principium perditionis ita Christus principium reconciliationis. Nam sicut delictum Adae in omnes diffunditur ita et gratia Christi, quantum est ex parte sua, in omnes sese extenderet. Ergo propter Christum data sunt omnibus sufficientia remedia contra peccatum. Patet consequentia: in tantum est Christus redemptor omnium hominum, in quantum dat illis sufficientia remedia contra peccatum. Unde si aliquibus non daret illa remedia, non posset vere dici eorum redemptor nec quoad efficaciam nec quoad sufficientiam. Media autem esse sufficientia Suarez sic intellegit, ut dent veram potentiam ad agendum, quae possit etiam transire in actum, nullo alio medio addito.

Examinaturus deinde ¹⁷ quaestionem, utrum electio hominum efficax ad salutem facta sit ante vel post praevisa eorum merita, Suarez censet sententiam secundum quam facta est post praevisa merita esse probabilem. Secundum hanc sententiam, dicendum est Deum in sua aeternitate, ex mera liberalitate absque operum praevisione, universaliter statuisset ordinare omnes homines ad gloriam per media et auxilia gratiae sufficientia, nullum tamen in particulari efficaciter elegisse in illo signo, sed nostro modo intellegendi exspectasse, ut videret quomodo homines cooperarentur gratiae. Vidit autem alios recte cooperantes usque ad mortem, alios vero non cooperantes, et ideo illos elegit et alios non. Nec sequitur in hac opinione, quod salus nostra habeat

¹⁷ 729.

initium ex nobis vel quod nobis simpliciter sit tribuenda, sed utrumque est referendum in gratiam Dei.

Haec opinio sic exposita, ait ¹⁸, censetur etiam a doctis viris nostri temporis probabilis et omnino carens temeritate. Nam sufficienter explicat Concilia et Scripturas et non consentit ullo modo errori Pelagii. Nam extollit gratiam, dum inquit Deum esse paratum omnibus auxiliari et quod ab hoc auxilio procedit omne bonum. Tuetur libertatem, in quantum dicit in libertate et potestate nostra esse consentire vel repugnare gratiae, sicut dixit Conc. Trid. Unde sicut est certum, quod Deus iustificat quem videt bene uti sua gratia auxiliante et se disponere, ita, inquit haec sententia, quod Deus simili ratione elegit aliquem. Cui favet illud 2 Petr 1,10: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* etc. Ubi significat vocationis et electionis efficaciam etiam esse in libertate hominis. Quod etiam Lc 8,5ss in parabola significatur, ubi seminans in terra seminat, quae fructum protulit secundum dispositionem quam habebat; sic etiam Deus gratiam suam et vocationem in omnibus seminat, et unusquisque fructificat secundum propriam cooperationem.

Hanc sententiam sequi dicit ¹⁹ graves auctores, inter quos enumerat Alensem, Henricum, Carthusianum, Bonaventuram, Albertum Pighium, Osorium, Soto, Catharinum a parte, Gabrielem. Favent huic sententiae Sancti saepissime dicentes, quod praescientia meritorum est ratio divinae electionis. Ita Dionysius, Irenaeus, Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Sedulius, Theophylactus, Oecumenius. Prosper refert Patres et episcopos illius temporis scandalizatos fuisse ab Augustino, quia docebat sententiam repugnantem communi sententiae antiquorum.

Etiam variae rationes pro hac sententia afferri possunt ²⁰. Deus non dat glorium nisi per opera (Mt 25, 34ss: 2 Cor 5,10; 2 Tim 2,5); ergo nec ab aeterno voluit dare nisi per illa opera praevisa. Confirmatur ex illo Rom 8,28: *Diligentibus Deum, iis qui secundum propositum suae voluntatis vocati sunt sancti*, et infra (8,29): *Quos praeordinavit conformes fieri Filio suo, per opera, ut exponit Chrysostomus et alii*. Praeterea electio non tantum supponit homines eligendos, sed etiam supponit ex parte eorum aliquam intrinsecam qualitatem, propter quam isti illis praeeligantur; ergo supponit praevisionem hominum. Antecedens patet, quia alias electio non esset rationalis, quia in illa non servaretur iustitia contra illud Ps 24, 10:

¹⁸ 739s.

¹⁹ 740.

²⁰ 729s.

Universae viae Domini, misericordia et veritas. Tandem Deus dat omnibus sufficientem virtutem, ut se disponant ad gloriam consequendam; igitur rationabilius est, ut illos eligat secundum diversa opera iuxta id Mt 25, 15: quod distribuit talenta i. e. dona gratiae secundum propriam virtutem, i. e. secundum propriam dispositionem. Accedit, quod neque in angelis modus contrarius electionis habetur; ergo neque in hominibus lapsis.

Etsi Suarez huic sententiae probabilitatem non negat, tamen asserit²¹ eam in duobus sibi non placere, primo, quia eodem modo loquitur de electione ad gloriam et de praedestinatione, et utriusque ponit causam ex parte nostra, sc. cooperationem liberi arbitrii, quod tamen falsum est (ex Q. 2); secundum est, quia dicit nullum fuisse electum ante praevisionem operum, contra quod statuimus conclusionem: Deus ante praevisionem omnium operum efficaci voluntate elegit multos homines ad gloriam, cuius voluntatis nulla potest dari causa ex parte hominum, sed tantum ex parte Dei²². Notandum est Suarez solum dicere Deum elegisse multos, non omnes salvandos. Cur ita loquatur, ex iis quae paulo post dicenda sunt apparebit. Hanc sententiam dicit²³ esse S. Thomae, Maioris et aliorum excepto Soto et aliis supra dictis — Scotus dubius manet — Durandi, Decani (Ruardi Tapper) et saepe Augustini. Fuit haec sententia recepta tempore Augustini a Patribus illius temporis, licet in principio illi contradicerent. Eandem insinuat Gregorius, Bernardus, Anselmus, Prosper et Hilarius Arelatensis. Colligitur ex Rom 9. Facit etiam illud Eph 1, 4.5.11; 2, 10; 2 Tim 1, 9; Tit 3, 5; Io 15, 16.

Sed addit²⁴: Fateor tamen multa loca ex his posse explicari de divino beneplacito et voluntate, quatenus comprehendit omnino bona supernaturalia: gloriam, gratiam, vocationem etc. Nam propositi et voluntatis dandi omnia ista, nulla potest dari causa ex parte nostra, ut patet ex dictis supra Q. 2, et hoc Dei propositum refertur simpliciter in divinam gratiam et quantum ad hoc assimilatur iustificatio vel vocatio creationi; nam sicut haec est ex nihilo, ita illa est ex nullo merito. Hoc etiam modo dicimus bona opera esse praeparata a divina voluntate, non quia necessario sint absoluta Dei voluntate praedefinita, sed quia praeparavit fidem et gratiam, ut illa cognoscere et operari possemus. Et ad hunc modum possunt varia loca intelligi et talis expositio aliquando necessario admittenda est, aliquando videtur

²¹ 742

²² 742.

²³ 742.

²⁴ 743s.

non habere locum, specialiter ubi Scriptura loquitur cum aliquibus efficaciter electis, item aliis tantum ex beneplacito Dei. Discussis variis textibus pergit²⁵: Ratione a priori non potest demonstrari Deum habuisse talem modum electionis; tamen ostenditur, quod potuerit habere illum absque praecudio vel suae iustitiae et gratiae vel nostrae libertatis... Secundo ostenditur hunc modum electionis fuisse necessarium et convenientissimum in natura lapsa. Nam natura lapsa mansit fragilis ad peccandum, difficilis ad bonum. Si ergo homines lapsi relinquerentur communi providentiae nec Deus aliquos specialiter eligeret, posset contingere, ut nullus salvaretur; nam communibus auxiliis non potest homo lapsus diu sine peccato manere. Vel etiam dato, quod aliquis salvaretur, illi essent pauci. Tam ad extensionem divitiarum Christi quam perfectionem et gloriam totius Ecclesiae et hominum necessarium fuit multos praeeligere, qui necessario consequerentur infallibiliter diversos gradus sanctitatis iuxta Dei beneplacitum; et praecipue hoc fuit necessarium in illis qui habituri erant in Ecclesia praestantissima munera, ut apostoli, doctores etc., de quibus improbable est negare illos fuisse praelectos. Allatis variis aliis rationibus concludit²⁶: Quae omnia probant tantum esse aliquos praelectos ante praevisionem operum, qui infallibiliter salvantur. An vero omnes qui salvantur sint hoc modo praelecti vel in aliquibus saltem verificetur modus electionis quem citata opinio (praedestinationis post praevisa merita) ponebat, pendet ex dicendis Q. 6.

Quaestio 6. An praeviso originali peccato ante praevisionem operum habuerit Deus absolutam voluntatem non admittendi omnes homines quos non elegit, etiam ante praevisionem operum²⁷.

Prima propositio. Deus praeviso originali peccato ante praevisionem aliorum operum, non habuit voluntatem absolutam excludendi a regno omnes non-electos²⁸.

Secunda propositio. Ante praevisionem operum voluit permittere Deus omnes non-electos deficere a suo fine ultimo²⁹.

Tertia propositio. Deus non habuit absolutam voluntatem excludendi aliquos a regno, donec praevideat illos morituros in peccato³⁰.

Quaestio 7. An omnes illi qui non sunt praelecti ante praevisionem operum cum effectu damnentur³¹.

²⁵ 745.

²⁶ 749.

²⁷ 761.

²⁸ 764.

²⁹ 770.

³⁰ 772.

³¹ 776.

Admissis tribus propositionibus de non-electis, Suarez dicit ³² difficillimam quaestionem oriri. Videri enim sequi aliquos homines ex iis qui non sunt praelecti ante praevisionem operum etiam cum effectu salvari. Cum enim habeant sufficientia media, cur non aliqui eorum cooperabuntur gratiae et salvabuntur? Patet hanc difficultatem non oriri praecise ex eo, quod aliqui, sive pauci sive multi, ante praevisionem operum suorum ad gloriam eliguntur. Si Deus non crearet nisi illos sic electos, nulla haberetur difficultas; in illo casu Deus hominum omnium salutem non solum vellet serio, sed etiam absolute. Sed si Deus aliquos ante praevisa eorum opera eligit et numerum salvandorum ad eos restringit et tamen etiam alios creat, relate ad hos ultimos non potest habere voluntatem seriam ut etiam hi salutem consequantur neque in iis potest haberi potentia veri nominis, ut ad salutem perveniant. Qui igitur non vult negare aut minuere voluntatem Dei salvificam universalem dicere debet aut in ordine salutis in quo non omnes omnino salvabuntur non haberi electionem ad gloriam ante praevisionem operum, aut si habetur, non tamen omnes salvandos sic eligi. Suarez hanc secundam viam iniit secutus sententiam Ambrosii Catharini, etsi cum aliquibus correctionibus.

Catharinus duplicem classem salvandorum distinguit, praedestinatorum et non praedestinatorum, vocans praedestinos solum eos qui efficaciter electi sunt ante praevisionem operum; sed etiam ii qui non sic electi sunt possunt salvari. Hunc modum loquendi Suarez non admittit, admittit tamen id quod Catharinus docet. Certissimum est, ait ³³, quod omnes qui salvantur sunt electi et dilecti a Deo. Non est autem certum, quod ista electio supponat praevisionem operum, praecipue in omnibus hominibus. Sed non est simpliciter necessarium, quod Deus prius velit hunc glorificari quam videat eum cooperantem suae gratiae. Praeterea certum est omnes qui salvantur esse praedestinos. Dato, quod aliqui salvantur non praelecti ante praevisionem operum, illi erunt praedestinati, quia non est de ratione praedestinationis, quod supponatur illa electio ad gloriam efficax ante omnem effectum praedestinationis.

Correpto modo loquendi Catharini, eius sententia est in eo, quod ex illis non praelectis ante praevisionem operum multi salvantur. Quae sententia non est nova nec singularis. Nam illam asseruerunt omnes supra dicti qui dicebant, quod electio non sit sine ordine ad praescientiam nostrae cooperationis, et Catharinus tantum differt ab

³² 776s.

³³ 799.

iis, quia limitat eorum sententiam; nam quod illi de omnibus dicunt, dicit ille in quibusdam verificari. Et eodem modo limitat contrariam opinionem dicentem omnes salvandos esse praelectos ante praevisionem operum, quod ipse ait verificari in aliquibus, non tamen esse necessarium in omnibus. Et ita ipse procedit quasi media via et consequenter tenetur assignare duos modos electionis in hominibus, alium ante praevisionem, alium ex praevisione operum, et duos esse modos praedestinationis, alium procedentem ex efficaci electione ad gloriam ante praevisionem operum, alium sine illa; et in hoc visa est nova sententia Catharini; sed illam prius docuit Gabriel in 1 dist. 41 et Ocham ibid³⁴.

Omnes igitur salvandi sunt electi et praedestinati, non tamen eodem modo. Nec id dicit Scriptura. Quando Scriptura loquitur de omnibus salvandis et vocat illos electos, loquitur de electione efficaci ad gratiam et gloriam, sive haec antecedit sive subsequatur praevisionem operum. Et haec simpliciter est tribuenda voluntati divinae, quia ab illa procedit principaliter. Et potest etiam dici simpliciter gratia facta, quia licet electio ad gloriam possit forte cadere sub merito, non tamen electio ad primam gratiam, et utrumque includit electio perfecta. Et ipsamet electio ad gloriam potest dici gratia facta in radice, sicut gratia dicitur vita aeterna. Et per haec intelliguntur facile omnia loca Scripturae quae in hac materia adduci solent sine praeiudicio huius sententiae. Favent huic opinioni loca Scripturae quae pro sententia praedestinationem fieri post praevisa merita afferri solent, praecipue verba D. Petri (2 Petr 1, 18): *Stagite, ut per bona opera*; 2 Tim 2, 21: *si quis emundaverit se ab his*, et 1 Petr 1, 2: *secundum praescientiam Dei Patris*. Favent etiam multi Sancti qui id videntur docere (citatur Q. 5). Praeterea habet haec opinio eam rationem: omnes qui non sunt praelecti illo modo habent tamen auxilia necessaria ad salutem; ergo possunt cum illis solis salvari; ergo salvabantur aliqui cum effectu. Putat Suarez posse concludi aliquos posse salvari cum his auxiliis communibus gratiae et illam specialem providentiam circa praelectos quidem necessariam esse, ut infallibiliter dirigantur in finem, non vero, ut habeant sufficientia media ad salutem³⁵.

Unde etiam infertur, quod in sola divina electione qua illi eliguntur ante praevisionem operum, etiam Deo non potuit esse infallibile, quod omnes alii condemnabuntur. Patet, quia non erat impossibile illis consecutio gloriae, etiam moraliter; ergo contingens est, quod illa

³⁴ 780.

³⁵ 782s.

potentia in aliquibus saltem reducatur in actum; ergo cum id Deus non impediatur, non potest esse in voluntate eius infallibile, quod non fiat ³⁶.

An vero de facto aliqui salventur necne, nolo absolute definire, quia ex una parte rationes urgent, aliunde obstat multorum opinio, et in re gravi nolo me opponere torrenti Theologorum ³⁷.

Dico tamen primo, quod qui dixerit aliquos illorum salvari nihil improbable dicit nec dissonans rationi nec Sanctis nec Scripturae et multo probabilius loquitur quam Henricus et alii qui tuentur praedestinationem non fieri nisi post praevisionem operum.

Dico secundo, quod qui dixerit non salvari aliquem ex illis non-*praelectis* ante praevisionem operum, ut probabiliter procedat, debet concurrere ad praescientiam et revelationem Dei et dicere, quod Deus praescivit, nullum illorum esse salvandum. Quod si quaeratur, cur Deus id praesciverit, dicere debet, quia ita erat futurum ³⁸.

Ex dictis sequitur dicendum esse, Suarez, cum primum in lectionibus suis *de Deo uno* tractaret quaestionem de praedestinatione, iudicasse systema praedestinationis post praevisa merita esse quidem probabile et inclinasse in hoc, ut hanc sententiam cum alia, secundum quam electio ad gloriam fit ante praevisionem operum hominum coniungeret, sed motum auctoritate Theologorum aliter sentientium id facere noluisse. Principalis autem pars doctrinae eius de praedestinatione in omni casu erat electio multorum saltem ante praevisionem eorum operum.

Cum distinguat Suarez inter electionem ad gloriam et praedestinationem consequenter affirmat, etiamsi diceretur nullum eligi ad gloriam nisi post praevisionem eius operum, tamen dicendum esse praedestinationis eorum nullam dari causam ex parte eorum, quia non datur causa vocationis et auxilii praevientis; daretur causa electionis eorum ad gloriam, sed non praedestinationis eorum ³⁹.

Voluntas autem Dei qua absolute vult aliquem excludere a regno semper habet causam ex parte illius reprobis et sic tota reprobatio ultimo referenda est in reprobum et non in Deum; nam volitio efficax Dei excludendi aliquem a regno est causa totius reprobationis, illius autem est causa ex parte reprobis, ergo et totius reprobationis ⁴⁰.

JUAN RABENECK, S. I.

³⁶ 787.

³⁷ 788.

³⁸ 788.

³⁹ 797.

⁴⁰ 801.